

Antigonum, quem habebat charissimum, per Anno
calumnias oppressit. Ipse non multò post M.
tragicè periit.

Jamnæus Alexander favore Reginae ex 3871.
carcere eductus est ad Regnum. Fratrem
unum interfecit, alterum otio & volupta-
tibus corrupit. A *Ptolemæo Lathuro* gravem
cladem passus est, pervastatâ etiam totâ
Provincia. Post urbes, quæ defecerant, re-
cepit, & alias adjecit. Domi *seditionibus* suo-
rum vexatus est, quas dum severius ul-
ciscitur, populus, auctores Pharisæis, de-
fectionem facit, & *Demetrium* Regem in
auxilium advocat. Sed vicit fortuna A-
lexandri, qui de 800. supplicium atrox
sumsit, reliquis pepercit. Decessit in obsi-
dione Ragabæ.

Alexandra sive *Solina* de consilio mariti 3898
conciliavit sibi Pharisæos, & per eos studia
populi recollegit. Sed cum illi abuterentur
potestate, novas turbas dederunt, & fi-
lius *Aristobulus* Regnum invasit, occupatis
arcibus, quas frater tenebat.

Hyrchanus suprema matris voluntate Rex 3903
designatur: cum fratre tamen de Regno
dimicare cogitur prope Jericho, ubi victus
cedit fratri & Pontificatum retinet.

Aristobulus II. Regnum nec diu, nec pa- 3906
catò possedit. *Antipater* instigavit Hyrca-
num ut amissa repeteret, & conciliavit ipsi
auxilia *Aretæ* Regis Arabum: obsedit fra-
trem Jerosolymæ. Sed *Pompejus* bellum
tum in Syria gerens intercessit per *Scaurum*
&